



**G**otzbertus illustris familia Francorum natus fuit. Vnde dux Franciae Orientalis existens magna laude, nomine Theodorici regis Francorum, eam Germaniae partem administrabat. erat enim magna animi & corporis fortitudine praeditus. Cum autem ijs in locis maiorum suorum traditiones obseruarent, atque idolorum cultum custodiret, factum est ut Gotzbertus Geylanam fratris sui defuncti uxorem apud se haberet, atq; ipsius consuetudine frueretur. Accidit ergo cum S. Kilianus Dei benignitate ad eam loca ueniret, atq; Christi Euagelium prædicaret, ut Gotzpertus auidè eius doctrinam audiret & susciperet. Inter alia uero S. Kilianus ducem increpat, atque ei ostendit, nequaquam Christianis licere fratum uxores sibi coniungere. Vnde Gotzbertus ei promisit, se occasione oblata ipsi obtemperaturum. Id cum Geylana percepisset, ira comota in principis absentia fecit, ut Sanctus Kilianus tolleretur. Verum cum Gotzpertus uera religione ductus in suo proposito pergeret, etiam ipse Heribolis impiè à suis ministris interficitur. Huius filius Hetanus patri quam similimus in ducatu successit, atq; Christianam religionem professus, eandem suis subditis proposuit, & contra impios fortiter defendit. Claruit Gotzpertus circa annum Domini 680. Anon.